



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Enarratio Epistolæ Prioris Ad Timothevm, Et Dvorvm Capitum secundæ

Melanchthon, Philipp

Vitebergæ, 1561

VD16 M 3167

διδακ[...]
κο[...] idoneum ad docendum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-36308

inde uult nos recordari exilium filij, qui propter nos factus est exul, ut nos reducat in patriam. Sæpe ingens multitudo simul ex urbibus expulsa est, & turmæ equitum immisse, quæ senes, pueros, mulieres conculcarunt. Interdum Deus in conspectu aliorum aliquos in cœlum abduxit, ut legitur de sene CHEREMONE & eius coniuge anu, qui cum ex urbe Ægypti Milopoli expellerentur, & propter senectæ imbecillitatem non possent procedere, cum reliqua multitudine in cœlum translati sunt.

ἰδὼν ἄλλοὺς ἰδόνειον ἀδιδόνειον
idoneum ad docendum.

Postulat non solum ut teneant ministri doctrinam Ecclesiæ, sed etiam ut sint idonei ad docendum, Sicut & infra inquit 2. Timoth: 2. Com-menda doctrinam hominibus fidelibus, qui ad docendum idonei sint. Et ad Titum cap. 1. inquit: Sit potens ad docendum, et ad refutandos contradicentes. Et studium præcipit 1. Timoth: 4. Sis assiduus & attentus in lectione, doctrina & consolatione.

Hec dicta familiarissimè nota sint omnibus, ut nos ad discendum excitemus. Sciamus igitur hunc laborem discendi placere Deo, & Deo cure esse

I. EPISTOLA AD

ra esse defensionem docentium & discipulorum, Sicut de Sacerdotio inquit Deus: 38. Dominus est hereditas uestra. Item Isa: 58. Posui in ore tuo Verbum meum, et dextera mea protegam te, ut plantes caelos.

Seuerissimè etiam puniri negligentiam in discendo certum est, ut Osee 4. dicitur, Quia scientiam repulisti repellam te, ne Sacerdotio fungaris mihi. Hæ commonefactiones excitent diligentiam, Sciant iuniores rem difficilem esse rectè complecti totum doctrinae corpus, multo autem difficilius esse rectè & perspicuè exponere, Et se ad hæc tanta opera propter gloriam Dei, propriam salutem & utilitatem Ecclesie præparent. Ac simul petant, ut Deus regat mentes, Sicut petit Propheta Psalmo 118. Fac cum seruo tuo secundum misericordiam tuam & iustificationes tuas doce me. Hi labores Deo placeant & ornantur præmijs, iuxta illud Lucae 19. Habenti dabitur.

Sequitur enumeratio multarum uirtutum in Suis & mulieribus, quarum ut ordo & summa comprehendi possit, Sciant iuniores omnium uirtutum doctrinam in Decalogum distribuendam esse, inde & explicatio earum longior sumi potest, & in Ethicis traditur.

Ac

TIMOTH: CAP. III. 44

Ac satis apparet Paulum non solum Euangelij præconem excellentem esse, Sed etiam politicum monitorem. Nominat uirtutes non tantum priuatas, ut temperantiam, Sed etiam politicas in gubernatione necessarias, ut ne Episcopus sit percussor. Hic discernit ministerium Euangelij à magistratu politico, qui mandatum habet suo ordine puniendi ui corporali, ut alibi sæpe dictum est.

Iubet item ne sit rixator, id est, ne certamina moueat non necessaria, imò uideat etiam ubi asperitas lenienda sit $\epsilon\pi\epsilon\iota\kappa\epsilon\iota\alpha$, toleret in infirmis & sanabilibus aliqua incommoda, Sapienter ferat aliquas iniurias, ne crescant dissidia inflammata mutuis certaminibus. Hac de re sapientissime præceptum est, multos magnos morbos curari abstinentia & quiete.

Hec politica præcepta nondum intelligit ætas minor, Sed tamen harum uirtutum nomina utcumq; agnoscere & flectere se ad moderationem discant. Alij grandiores sciant hanc considerationem ad se pertinere, ut uideant ubi necesse sit pugnare, ubi non necesse sit.

Ecclesia Dei uiuentis columna & sedes veritatis.

G 4 Hic